



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XV. Ad hæc.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

deles, quibus spiritualia ministrantur, justam vitam sustentationem tribuant, juris naturalis, ac divini sint, ipsiusque domini præceptum continent *Matth. 10. v. 10.* dignus est enim operarius cibo suo, quamvis formaliter, & secundum determinationem, ut videlicet sit pars decima proventuum, juris politici, atque Ecclesiastici sit, uti docet *S. Thomas 2. 2. q. 187. a. 1.* & alij Theologi contra Canonistas, & docui *in tit. tra. 6. c. 2.*

Secundò. Decimæ Ecclesijs parochialibus debite sunt à fidelibus, quia ex eorum parte obligatio orta est, & ex parte ministrorum Ecclesiæ actio nata; nam debitor, & creditor correlativa sunt *L. 10. ff. de verborum significatione*, ubi dicitur, creditores omnes esse eos, quibus debetur ex quacunque actione.

CAPITULUM XV.

Ad hæc.

PARAPHRASIS.

Abbas quidam Laico, & hæredibus ejus decimas donavit. Hanc donationem Alexander III. decrevit esse irritam, quia Sanctuarium DEI jure hæreditario possideri non potest, idèoque Laicum illum, nisi decimas Ecclesiæ liberè resignarit, excommunicatione esse alstringendum.

SUMMARIUM.

In decimarum in Laicum à Prælati Ecclesiæ Papæ inferioribus transferri non potest.

NOTANDUM. Jus decimarum à Prælati Ecclesiarum in Laicum transferri non potest. Hæc assertio est manifesta, si loquamur de jure decimarum, quatenus spirituale est, sive in spiritualis officij titulo fundatur: sin autem sermo sit de jure decimarum, seu proventuum præcisè, & quatenus abstractum est à spirituali titulo, ita temporale quid est, videlicet jus accipien-

di decimam fructuum, cujus juris capax est Laicus: qua ipsa ratione olim ante annos amplius 450. Prælati jus decimarum Laicis in feudum dabant; postea verò, cum jus decimarum à spirituali titulo abstractio Prælati esset interdicta, & Pontifici reservata, ex eo tempore Canonica regula est apud *Gl. receptam in c. quamvis 17. hoc tit.* quòd omnis à Prælati jus decimarum alienatio facta in Laicum per donationem, venditionem, permutationem, feudum, emphyteusim, precarium, ipso jure irrita sit, neque Laicus in conscientia securus sit, donec decimas Ecclesiæ restituat, juxta *c. causam 7.* ubi id docui *de præscriptionibus*; interim nihil obstat, quòd minus parochus v. g. ipsam commoditatem fructuum decimarum vendat, vel ad tempus aliquod locet Laico, uti docui *in c. 2. de locato & in disp. de alienatione. thes. 8. & in Morali Theologia lib. 4. tra. 6. c. 6. assert. 5.*

Simile quiddam est, quòd jus monetæ cudendæ, cum inter regalia numeretur, alteri vendi, aliòque modo concedi non possit, ita, ut juris translatio, seu alienatio censetur, quia regalia alienari non possunt; at verò ipsa commoditas, seu lucrum ex moneta cudenda, ad tempus aliquod locari, aut vendi potest, & interdum solet Judæis, ita, ut ipsi nomine, auctoritate, & signo Imperij, Ducis, aut Comitum, cui hæc regale competit, monetæ cudant.

CAPITULUM XVI.

De Terris.

PARAPHRASIS.

Judæi compellendi sunt ad decimas solvendas, ex terris, quas colunt, vel possessiones relinquendas, ne aliquin Ecclesiæ suo jure fraudentur.

SUMMARIUM.

1. *Judæi bona immobilia possunt habere.*
2. *Co-*